



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Epistola Sancti Sixti Papae ad Cyrillum Alexandrinum, post pacem factam
inter ipsum Cyrillum & Ioannem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

ANNO
 CHRISTI
 431.

ἐν ὑτέροις δὲ καιροῖς (Ψ) αὐτὸν καὶ
 ἐν γυναικὸς κατὰ σὰρκα· ὡς (Ψ)
 αὐτὸν (Ψ) θεὸν τε ὁμοῦ καὶ ἄψευστον,
 τέλειον ἐν θεότητι, καὶ τέλειον ἐν ἀ-
 ψευστότητι (Ψ) αὐτὸν· καὶ ἐν αὐτῷ ὁ
 πᾶσι πᾶσι, κατ' οὐδέ-
 να διαουῶντες ἴσθιν εἰς δύο υἱοὺς,
 ἢ Χειροῖς, ἢ κωλοῖς. ἐὰν πίνω
 κατὰ ψευδοδιδασκαλίας λέγων ἐπε-
 ρά να πρὸς ταῦτα φρονεῖν αὐτοῖς,
 μὴ πᾶσι δάσωται. ἀλλ' ὡς ἀπατεῶνες
 καὶ ψευδοὶ κατὰ (Ψ) αὐτὸν πατέ-
 ρα (Ψ) διάβολον ἀποπεμπέδωσαν·
 ἵνα μὴ τρεφῶσι τὸν ἐκλιοντα ὀρ-
 θοδοεῖν. ἐδὴ δὲ καὶ Ἰησοῦς ἐαυτοῖς
 σιωπῆντες ἕως * ἀειφύεσθαι, ὡς
 ἐν πρῶτου γραφείας ἀνδρῶν
 Ἰησοῦ ἐφύεσθαι, ἐκ ὀφείλοισι θαρ-
 σεῖσθαι. (Ψ) ἢ ἅπαξ ἐγγράφως ὁμο-
 λογήσαντες πᾶσι πᾶσι, πᾶσι ἕπερα γρά-
 φειν διώδωται, κατὰ τὸ ἐν μετανοίας
 εἰς τὸ μνηστὴρ βούλεσθαι φρονεῖν ὀρθῶς
 παρὸν ἡμετέροις; πᾶσι πᾶσι
 σοὶ ἀδελφότητα. σὲ ἵσω ἡμῖν ἐν κω-
 λῶ πρῶτα γράβει. ἐγγράβει σὲ ἐν
 κωλῶ ἕπερα.

idemque nouissimis tempori-
 bus secundum carnem ex mu-
 liere natum: ita ut idem Deus sit
 & homo, idem perfectus in dei-
 tate, perfectus rursus in huma-
 nitate. Credunt denique vnam
 illius esse personam, nec vlla ra-
 tione in duos filios, aut duos
 Christos, aut duos dominos dif-
 pertiuntur. Si qui igitur sunt, qui
 illos diuersa ab his sentire falso
 affirmauerint, nulla eorum di-
 ctis fides habeatur; verum tam-
 quam impostores & mendaces
 secundum patrem suum diabo-
 lum amandentur, ne illos qui
 recte incedere cupiunt contur-
 bent. Quod si qui epistolas a se
 concinnatas circumferunt, tam-
 quam quæ a viris spectatis editæ
 sint; eorum audacia nullo mo-
 do est admittenda. Qui enim
 semel fidem suam per scriptum
 professi sunt, qui fieri potest ut
 iam contraria scribāt, quasi pœ-
 nitentia ducti eo iam prolapsi
 sint, ut recta sapere diutius no-
 lint? Saluta quæ tecum est frater-
 nitatem, quæ mecum est te salu-
 tat. Opto te in Domino valere.

EPISTOLA SANCTI SIXTI PAPÆ
 ad Cyrillum Alexandrinum, post pacem factam
 inter ipsum Cyrillum & Ioannem.

Sixtus episcopus Cyrillo episcopo Alexandrino.

MAGNA sumus lætitia alacritatis impleti, postquam,
 sicut legimus, ex alto nos oriens visitauit. Ecce enim
 sollicitis nobis, quia neminem perire volumus, sanctitas
 tua redintegratum corpus ecclesiæ suis epistolis indica-
 uit, redeuntibus eius in sua membra compagibus: nemi-
 nem foris iam videmus errare, quia intus omnes positos
 fides vna testatur. Lætatur e medio nostrum qui hoc
 opus fecit ablatum: soli sibi nunc non credenti, quod sen-
 sit intelligit obfuisse, qui contra hunc nixus, quem profi-
 Concil. Tom. 6. Ccc

CAP. XLII.
 Luc. I.
 1. Cor. 5.

ANNO
 CHRISTI
 431.

ANNO
 CHRISTI
 431.

ANNO
 CHRISTI
 431.

ANNO
 CHRISTI
 431.

temur omnibus profuisse. Sed conuenit a tristibus nos ad læta transire, quia ipse, cui quæstio mota fuerat, de ecclesia vniuersali mœrore sublato, tempus nobis præstitit gaudiorum. Christus denique Deus noster quam vera sit sua causa monstrauit, quando ita res dignatus est gubernare, vt tantæ rei & talis iudicium seruaret suorum Conuentui sacerdotum. In vnum congregati apostoli de fide sæpe tractarunt: in vnum nunc conuenientes apostolici de eius victoria gratulantur. O relatio digna mittente, digna Conuentu! Gaudii cælestis iudicium tales habere debuit cognitores. & quia res & causa deposcit, locum quoque conuenit * non taceri. Ad beatum apostolum Petrum fraternitas vniuersa conuenit. Ecce auditorium congruens, auditoribus conueniens audiendis. Habuerunt coepiscopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque & venerabili Synodo, quam natalis mihi dies fauente Domino congregarat, quia sic credendum est, ipse præfedit; quandoquidem probatur nec spiritu, nec corpore defuisse. Adfuit palmæ, qui contentioni non defuit: iuuuit animorum vota nostrorum, qui videret simbolo primum inter apostolos tradito derogari: non passus est nefandum caput gaudere solatiis, nec turbari diu fuit lutulento gurgite fontis illius perspicui puritatem. Ad nos reuerfi sunt fratres, ad nos inquam, qui morbum communi studio persequentes, animarum curauimus sanitatem. Non se exuli vestro sanctus frater noster Ioannes addiderat, non eius est blasphema prædicatione deceptus. nam quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negauit. Nam quid in inuentorem malorum posset aliud iudicare, nisi quod probatur ipse per sacerdotes suos, cuius agebatur causa, sentire? Statuerat hoc nimirum de nostrorum desertore castrorum, quod a ducibus fidei * suaderet perfidia iudicari. Nunquam se a nostro numero separasset, in quem potuit & reuerti. Exulta, frater carissime, & ad nos recolletis fratribus victor exulta. Quærebat ecclesia quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quanto magis gaudendum nobis est sanitate rectorum? Legimus vna ouis quantum gaudii reportata præstiterit: & idcirco intelligendum est quid laudis habeat

* intueri.

* f. sua deberet

Luc. 15.

ANNO
CHRISTI
431.

* f. recto-
rum.

* laturos.

* dictio-
nis

tantos reuocasse pastores. Greges aspiciuntur in singulis;
 nec vnus hic causa tractatur, quoties agitur de sanitate
 multorum. Latamur hic nihil egisse nos præcoquam,
 quando fructu nostræ sententiæ gratulamur. Sustinuimus,
 fratres, certi eos non spinas, sed uas esse facturos. In
 euidenti est nostrorum vindemia gaudiorum, quæ san-
 ctam Synodum largitate gratulationis impleuit. Vineam
 suam custos ille curauit, quem ad custodiendam domum
 Israel nec dormire, nec obdormire Dauid propheta te-
 statur: infecundum illud Christo nostro, nec afferens fru-
 ctum, suscepit flamma sarmentum. Sed vt hoc videmus
 conuenire damnato, ita de reuersis ad nos fratribus con-
 uenit dicere, quia non potuit a diabolo eradicari planta-
 tio, quam plantauerat Pater. Illum ergo sibi ignis æternus,
 hos possessoris æterni vinea vindicauit, in tantum vt An-
 tiochenæ ecclesiæ sacerdotem vocari a sanctitate tua iam
 nunc venerabilem virum & domnum gaudeamus. Et me-
 rito vocatur dominus, qui communem Dominum recog-
 nouit, qui incarnationis eius mysterium voce catholica
 nobiscum confitetur. Bene nobis breuiter tua fraternitas
 quæ sunt super eodem negotio gesta narrauit: sed mirati
 non sumus, quod a dissentientibus in te compositam le-
 gimus deiectionis iniuriam. Nouimus frequenter pate-
 re calumniis veritatem, nec tamen vnquam posse falsi-
 tate superari. votiua sunt semper molestiæ fidem præ-
 dicanti. his namque cum beatitudine copiosa merces
 paratur in cælo, quibus propter iustitiam maledictio-
 nes, persecutiones, & omne malum præcipitur sustine-
 re. Passus es falsitatem, vt victricem faceres veritatem:
 & ideo nunc insultandum est falsitati, quia nullus perire
 potuit veritati. Expectamus igitur memorati fratris nostri
 Ioannis clericos, & optamus venire. scimus ei & pro ho-
 nore & pro labore tuo dare responsum. Non est, sicut fra-
 tri & coepiscopo nostro Maximiano sæpe iam scripsimus,
 etiam ipse redeuntibus difficilis aperire ianuam: vt vere,
 nisi perditionis filius, nemo sit perditus; sitque ei maior
 causa lugendi, quod meruit solus excludi. Hæc ad vene-
 rationem tuam fraternitas mecum sancta scribit, probans
 tuos in omnibus & confirmans labores; qui tamen gra-
 ues aut amari esse non potuerunt, quia huic impensæ sunt,

Matth. II. cuius onus leue, & iugum suaue portamus. Datum xv. ANNO
Kalendas Octob. Theodosio XIII. & Maximo Consulibus. CHRISTI
451.

Respondet
epistolæ
Ioannis,
quæ habe-
tur supra
cap. 27.
CAP. XLII.

SIXTVS EPISCOPVS, JOANNI
episcopo Antiocheno.

SI ecclesiastici corporis gloriam, si eius integritatem di-
lectio tua considerare dignetur, profecto lætitiæ nostræ
non quæret interpretem. Ipsa namque res evidentissime
loquuntur, mœrorem nostrum repentino sancti fratris
nostri Cyrilli sermone in gaudium esse conuersum. Tan-
tam hanc ergo sollicitudinem nostram nos euasisse dele-
ctat, postquam reo nostræ fidei tua fuit * sanctitas plenu-
do. Nunc vere se exulem, nunc se sentit eiectum. Abun-
dant ei in deserto spinæ, quia deest vna quam colligat. Hos
Matth. 7. habet fructus, qui erga vineam Domini * nostri noluit * nostram
exercere culturam. Credo ad dilectionem tuam rerum
cursus & ordo peruenerit, qualiter ei volumus nostra ad-
monitione succurrere. Retinuimus in præceptis euntem,
qui erat blasphemiarum pondere in profunda mergendus.
Si negotii qualitatem iusta lance pensemus, nulli non vide-
bitur Nestorius sero * damnatus. Hic fuerit debitus sermo * damna-
præteritus. Fruamur nunc præsentibus bonis, nec diu hæ-
reamus in tristibus, quibus Dominus gaudere concessit. tus, cui
Audiuit vniuersa fraternitas, quæ ad natalis mei conue- non pro-
nerat diem, qualiter bono humani generis, apostolicæ fuerit
sedis me præside, * ... excedant licet meritum meum, & * Deest a-
extra me hæc esse cognoscam: exordium tamen tui sermo- liquid.
nis gratus accipio, quia non est tibi controuersia perfe-
renda, qui Christum Dominum nostrum bono humani
generis, ita ut natus est, confiteris: subsequenter ecclesiæ
addis luciferum, & vbique lucentem: sed & nunc vos,
imo omnes qui lucis illius signum fronte gestamus, lucife-
ros confitemur. Sint ergo omnes fidem prædicantes Do-
mini sacerdotes luciferi, & vbique lucentes: sit & Nesto-
rius ille lucifer, de quo scriptum est: *Cecidit lucifer, qui ma-
ne oriebatur.* cecidit, sed superbiens cecidit, sed elisus, cum
ascendere disponit in cælum, & ponere super cæli sidera
sedem suam, & promittit Altissimo similem se futurum.
Ille ad similitudinem se aptabat Altissimi: iste in suam
similitudinem vocabat Altissimum. hominem namque